

Tacitus Historiarum II 14 Othonianorum Vitellianorumque pugnam describit, in cuius descriptionis initio haec leguntur verba :

'nec mora proelio, sed acie ita instructa, ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exurgeret, quantum inter colles ac litus aequi loci praetorianus miles expleret, in ipso mari ut adnexa classis et pugnae parata conversa et minaci fronte praetenderetur: Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis iugis, cohortes densis ordinibus post equitem locant'.

quae verba talia qualia adposui et in libro Mediceo et in editionibus ante Halmium emissis sine ulla discrepantia extant: neque quidquam in editionibus ad explicandum hunc locum adnotatum invenimus, nisi quod solus Orellius haec habet 'acie] de Othonianis verba facit usque ad v. praetenderetur; dein, paullum variata constructione, de adversariorum acie, quod v. ad totam clausulam pertinet, cuius verbum finitum est locant'. tota autem haec explicatio ex earum genere est, quas obscuris et contortis vel adeo corruptis locis volgo adhibere solent, ut scilicet id dicant, quod in ipsis verbis inesse debeat, neque tamen inest. nam quis non videt, hoc modo si Tacitum locutum esse crediderimus, eum non iusto obscurius tantum, sed etiam prorsus inepte verba sua disposuisse? quod enim Orellius 'acie' vocabulum ad utrumque membrum, i. e. et ad Othonianos

et ad Vitellianos, pertinere dicit (aliter enim eius verba intellegi vix possunt): hoc omnino fieri non potest ut concedamus. nam ut verba nunc leguntur, aperte id quod est 'acie' vocabulum ad solos Othonianos pertinet. qua in re iterum duae res sunt vituperandae: prior est, quod tam longam perque varia membra deductam enuntiationem Tacito non convenire paene confidenter contenderim: altera, quod nulla intellegitur causa, propter quam Tacitus eam descriptionis partem quae ad Othonianos pertinet multoque longior et copiosior est quam ea quae insequitur, hanc potissimum dico partem quasi depresserit, id quod in tali qualis nunc est enuntiationis forma facile unus quisque sentiet. omnino autem nullus vel caussae vel temporis conexus inter utramque sententiae partem intercedit. sed quid multa? mirum est haec omnia quam parum apte a Tacito instituta essent non advertisse editores ante Halmium omnes: quamquam ne Halmi quidem emendandi rationem probare possum. inclusit enim uncis 'sed' voculam in ipsa editione, in commentario critico 'fort. proelios, acie' adnotavit. in utramque emendationem partim id cadit quod modo de volgata lectione monui, partim nemo negabit innocentem voculam quae est 'sed' violentissime expelli. deinde vero Tacitum non dixisse 'nec mora est' putaverim, cum hanc formulam a poetis accepisse videatur, apud quos fere solemne est 'nec mora' omisso 'est' verbo. ipse igitur conicio olim scriptum fuisse 'nec mora proelio: sed acies ita instructa' e. q. s. nunc demum omnia bene procedunt. nihil autem est quod offendas in omisso verbo ad 'instructa' participium supplendo, cf. modo Hist. II 41, 13 (H.) 'disposita Vitellianarum legionum acies'. quamquam non celabo, etiam aliam qua verba restituantur viam iniri posse: possunt enim omnia sine ulla mutatione retineri, si post 'praetenderetur' vocabulum haec fere excidisse existimaveris 'Othoniani hostem excipiunt' vel 'expectant' vel similia. sed ut taceam, minus lenem esse hanc coniecturam quam eam quam modo proposui, videtur Taciti generi dicendi aptior esse prior emendandi ratio, ad quam etiam magis commendandam addere possum, non me solum, sed etiam Classenum et Iahnium, viros clarissimos, in eam incidisse.